

Reg.: RBM II, pp.1123, n.2590

Effertur laudibus loyca, inducuntur scolares, ut ipsi insudent.

Post quadrigam philosophie currentibus Pragensis studii scholaribus  
 universis H. de Ytalia salutem et rationalis sciencie claritatem. Quoniam  
 rebus, de quibus loquimur, sermones oportet esse cognatos, ne vel sentencie  
 5 divitis presignis nobilitas, quam elacioris fastigium prerogat intellectus,  
 demisse oracionis plebescens pauperie verbis humilibus deprimatur, ne vel  
 de masse rudis grossicie inops decisa materies, dictionum formis  
 locupletata solemnum, profunde intencionis archanum luce sophistica  
 iactitet superficietenus et promittat. Non miremini neque gravis appaream,  
 10 si stili mediocris modestiam attuli ad figure sublimis altissonam gravitatem.  
 Altum enim est thematis assumpti negocium, et tube requirit sonitum  
 alcioris, utpote res altis et longis terminata limitibus et arduis intelligencie  
 finibus circumscripta. Virtutum equidem privilegiatum potencia speciali et  
 iustis libratum ponderibus lucide ventilabrum racionis, cuius limpidus  
 15 oculus et perspicax introspectus ab ipsa individualium particularitate usque  
 ad generalissima tamquam cursor medioximus ascendendo quelibet  
 investigacionis subtili indagine perscrutatur, quod quemadmodum divisiva  
 integralitatis filosofice pars existit,  
 C 14<sup>v</sup> sic ipsius totalitatem dividit diligens sciencia disserendi, asserit et ipsa  
 20 nobis ostendit ratio et fixa mentis acie percipit extortor rerum omnium  
 intellectus.

01 Effertur ... insudent om. P - 05 divitis: diviciis C - fastigium: faustigium C; faustigium (u. exp.)  
 V - 07 formis *supra lineam* V; a. m. *adscr. in marg.* P - 08 solemnum: solemnum P; solemni C  
 - 11 thematis ... negocium: negocium thematis assumpti C - 15 particularitate: particularium  
 claritate P - 17 divisiva: admisiva P - 18 filosofice: philosophie E